

SECUNDA PARS.

FRENTANI.

Frentanis attribuimus oram maritimam ab ostiis Tiferni ad Ortonam; Larinates enim, quamquam Frentani et ipsi, a nobis relati sunt ad regionem secundam (v. p. 69). Sane Strabo 5, 4, 2 p. 242 Frentanorum agrum a Paeligno ait terminari fluvio Sagro hodie *Sangro*, eademque ratione Ptolemaeus 3, 1, 19 ostia Sagri fluvii et Ortonam Paelignis tribuit; at ipse sibi contra dicit uterque auctor, cum Strabo l. c. Ortonam ait ἐπίστατον Φρεντανῶν, Ptolemaeus autem 3, 1, 65 Anxanum non Paelignis

tribuit, sed Frentanis. Itaque secuti Melam 2, 4, 65 et Plinium 3, 12, 106 Paelignos a mari removimus, quamquam verum est ne eos quidem auctores ab errore immunes esse; Aterni enim ostia, quae Mela eumque opinor secutus Plinius Frentanis adscribit, Vestinorum fuisse infra videbimus. — De Frentanorum rebus hoc loco non est quod agamus; sufficit adnotavisse eos a. u. c. 450 foedere facto cum Romanis in formulam sociorum relatos esse (Liv. 9, 45).

LX. BVCA (prope Termoli). VSCOSIVM (prope Guglionesi?).

Bucam Strabo 5, 4, 2 p. 242 et 6, 3, 11 p. 285 Frentanorum ait extremum oppidum esse Apuliam versus et a palude prope Teanum Apulum (v. p. 67) eo navigari stadiis ducentis. Similiter Ptolemaeus 3, 1, 18 Bucam (Βουβα codd.) in litore collocat inter Tiferni (Φιτέρνου codd.) ostia et Histonium. Non accurate igitur Mela 2, 4, 65 sic scribit: (*Frentani*) *maritima habent Aterni fluminis ostia, urbes Bucam (cod. bucara) et Histonium*; peius Plinius 3, 12, 106 a Mela opinor deceptus Bucam collocat inter Histonium et Ortonam. — Uscosium non nominatur nisi in itinerario Antoniniano (supra p. 204 n. VI) distans secundum id a Larino (id enim probabile est latere in vocabulo corrupto *arenio*) m.

p. XIII, ab Histonio m. p. XV; solet collocari in loco q. d. Monte Antico inter vicus Guglionesi et S. Giacomo (Caraba ann. inst. 1854 p. 26). — Nos hoc capite complexi sumus titulos repertos Campomarini (qui vicus etsi in dextra Tiferni ripa situs est, hic collocatur propterea quod sententia ibi inventa ad Histonensium rem publicam pertinet), Termoli, Guglionesi, Acquaviva, Monte Nero di Bisaccia, qui vici sunt inter Tifernum (*Biferno*) et Trinium (*Trigno*) fluvios orae proximi; mediterranea supra p. 241 dedimus in Samnio una cum Terventinis. Ex titulis quos habemus tantum abest ut colligi queat ullo loco in his partibus rem publicam extitisse, ut Guglionensis n. 2828 ostendat pagum ibi fuisse reipublicae nescio cuius.

2826 [= 5237] rep. inter Biferum et opp. Termoli. Ibidem hodie transit callis pecorum (*il tratturo*).

AD PRINCIPIS IVSTITIAM PERTINET OMNem peraeque tollere que-
RELAM MAXIME VBI DE PVBLICO ET PRIVATO commodo agitur et
INOLITA RENOVARE MANDATA SI qui homines seclerati fraudulentos
sic ms. GAVDERE BENEFICIO MVTAIONIS cupiunt temporumque lapsu et
5 sic ms. VICISITVDINE PROPRII COMMODI causa abuti
QVAE INTIMVS HAVENTES IN PECTORE nostro sancimus hac op-
PORTVNA ET NECESSARIA CONSTITVTIONE Speroque omni tem-
PORE PER LOCA PRAEFIGENDO CANCELLARII NRI AVCTORITATE edicto qui
PROFESSA PECVARIA REGALI DERELICTO TRANSITV tramite de-
10 VIO ARBITRALI DIRECTIONE TRANSFERRE ausi fuerint uel ex-
TRA DESIGNATOS ET STATIONALES CALLES per campum uel sil-
VAM PASTVRAM ET MANSIONEM FACERE uel etiam ex lego cer-
IVM NVMERVM PROFESSI AVGERE PECORA nisi quis uel
DIPLOMATIS ANNOTATIONEM EXHIBENTIS iusto auxilio
15 VEL INVENTA RATIONE DEFENDETUR criminali id frau-
DE ET DOLO FACTVM PENALI SCIANT eosque ex legis tenore
PVNIENDOS PRECIPIMVS COQVENDOSQUE ut praecipit di-
sic ms. VALIS COSTITVTIO QVonia maximopere conuenit nostrae
EQVITATI ET BONI PVBLICI rationibus ut sacris constitutioni-
20 BVS INVIOLATA SERuetur firmitas.....
SIS BENE COM....
PVBLICI....
TVR....
S.....

Pollidoro ms. f. 105 (inde Guarini comm. XX p. 36): 'sequens edictum vir cl. Virgilius Capriolus Istoniensis iuris peritus atque multiplex eruditione praestans ex fragmento antiqui lapidis inter urbem Termulas et Tifernum effosso descripsit brevibusque annotationibus, quae una cum aliis ipsius opusculis autographis in bibl. marchionum Istonensium prostant, illustravit. — — — Iulius Nasturtius in tractatu de dogana regia pecudum et doganariis huius legis meminit eamque in Termulensi comitatu e regione antiquae viae consularis aetate sua diminutam et iniuriis temporum magna ex parte oblitteratam extare narrat; praecipua illius capita fideliter et accurate indicat'. — De aetate legis 'censet Capriolus', inquit Pollidoro, 'ad Gothorum tempora hanc constitutionem pertinere Gothoque ab rege editam, quo tempore Italia illi potiti in Frentanis Samnio et aliis circumpositis regionibus dominabantur. Nam per cancellarium, cuius aperta mentio in lege est, eos rexisse Samnium liquet ex Cassiodoro, apud quem [var. XI, 36] legitur epistola regis [potius praefecti praetorio] nomine scripta *Anatholico cancellario provinciae Samnii*'. — De Capriolo et Nasturtio vide praefationem Histonensium. Quamquam peior auctoritas vix cogitari potest quam personarum illarum Pollidorianarum, tamen si quid video, haec genuina est, nec certe a Pollidoro confingi potuit. Sup-

plementa mea sunt, nisi quod 4 fin. adscivi commendatum a G. Meyero. — 5 PROPI ms., scriptoris magis quam lapidis compendio. — 8 NRI item vix fuit in lapide. — 13 VM ms., in lapide fuit fortasse VM. — 15 inventa ratione, ex iusta causa, puta quod oves pepererint. — 16 PENALI traditur.